





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

17, 15 13
DISPUTATIO DECIMA QUINTA
EX EPISTOLA
PAULI AD ROMANOS,
proponens ἀνάλυσις capitis de-
cimi tertij.

*Ad cujus positiones, divina fa-
vente gratia*

PRÆSIDE DAVIDE
RVNGIO SACRÆ THEO-
logiæ Doctore & Professore in Aca-
demia VVitebergensi responde-
bit 28. Maij, loco
consueto

M. CASPARVS PAMLERVS
Reichenbacensis.



VVITEBERGAE,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.

REVERENDIS, CLA-
RISSIMIS ET DOCTISSI-
mis viris,

*Dn. D. ÆGIDIO HVNNIO S. Theologiae Pro-
fessori celeberrimo, Electoratus Saxonici Super-
intendenti dignissimo.*

*Dn. D. VITO VOLFRUMIO Ecclesiae Cyc-
naeorum Superintendenti vigilantissimo.*

*D. M. HENRICO NEVMEISTERO Ecclesiae
Reichenbacensium pastori dignissimo.*

Nec non

AMPLISSIMIS, PRUDENTIA
virtutumq; laude conspicuis D. Prætori, Confu-
libus & reliquis Senatorio ordini Reichen-
bacensium addictis, viris maxi-
mè pijs:

*Præceptoribus & Fautoribus suis honorandis debita
gratitudinis, faustæq; acclamationis ergò Theolo-
gicum hoc $\zeta\eta\tau\mu\alpha$ de Magistratu ex 13.
Capit. Rom. nuncupando offert
& dedicat*

M. CASPARUS PAMLERUS.

CAPUT XIII.

Quam præcedenti capite de bonis operibus tractationem exorsus est Apostolus, eam hoc præsentì pertexit & ab ordine Ecclesiastico, & distinctis in eo donorum atque officiorum gradibus, nec non communibus Christianorum omnium virtutibus & mutuis officiis, transit ad ordinem Politicum, quem Magistratum vocamus, de ejus origine, autoritate, potestate & officiis, ac vicissim de subditorum erga Magistratum affectione & obedientia disserit. Deinde iterum repetit ea, quæ omnes Christiani sibi invicem debent officia charitatis, quibus Legem impleri affirmat, eique subjungit commonefactionem de fugiendis peccatis contra conscientiam & vitam sanctam & professioni Christianæ conformem instituendam.

PRIMA PARS.

Cum hæc pars complectatur summam doctrinæ Christianæ de Magistratu, simul textus *εναλωσις* tractationi rerum includemus. Ac primò quidem de Magistratu, tum de Subditis agemus.

DE MAGISTRATU
CIVILI.

I.

Magistratus appellatio interdum significat potestatem ipsam seu officium, nonnunquam ipsas personas in officio constitutas. Nos hoc loco in disputatione Paulina utrumq; conjungemus. Ac Cicero lib. 3. de leg. Magistratum

Origo nominis.

quasi Magistrum legum appellatum fuisse sentit, quod jus habeat:
ferendae legis, & legem in dicendis sententijs sequatur.

II.

Paulus & Christus Luc. 22. ἡγεῖν vocant, quae vox ab
ἡγέσθαι hoc est, licet originem trahens, designat licentiam non arbi-
trariam, sed ordinariam, nimirum jus & potestatem, cum autori-
tate quippiam agendi.

III.

Magistratus est officium à Deo ad Ecclesiae ac Reipublicae pro-
tectionem constitutum, armatum gladio ad coercendum contuma-
ces vi corporali secundum leges honestas. Eandem descriptionem in
posteriori significato personae in officio constituta applicare licet.

III.

Textus
divisio.

Omissis autem ijs, quae summam & γενικός de Magistratu
dici poterant, vestigijs Apostoli in praesenti textu insistentes: Primò
de ejus origine, secundò de officijs, Tertio de praemijs acturi sumus.

V.

Originem Magistratus insignibus verbis describit Paulus:
Non est potestas nisi à Deo: Quae verò potestates sunt à Deo ordi-
natae sunt, Et ter inculcat propositionem: Magistratus est Dei mi-
nister.

VI.

Videntur quidem imperia humana autoritate ingenio & vi-
ribus primò constituta, ut de Nimrodo dicitur, quod fuerit robu-
stus venator coram Domino, dum aliqui superbia & regnandi libi-
dine inflati, numero, ingenio ac opibus potentiores, oppresserunt in-
firmiores alios. Unde I. Pet. 2. v. 13. Magistratus vocatur crea-
tura humana, eo quod hic ordo non immediate, ut ministerium
Evangelij aut conjugium institutus sit à Deo, sed ab hominibus pri-
mò introductus, & postea divina autoritate confirmatus.

Magistra-
tus simul
humana
creatura,
& divina
ordinatio.

VII.

Testatur enim Spiritus S. divinam providentiam sic regi hanc
hominum societatem, alioqui admodum infirmam & injurijs im-
proborum expositam, ut alij praesint, alij obtemperent. Et quan-
quam saepe per tyrannidem & injustis modis acquiritur imperium,
manet tamen Magistratus ipse ordinatio Dei, etsi modus acquiren-
di aut imperandi saepius Deo displicet: Sicut dicitur Dan, 2. v. 21.
Deus transfert & stabilit regna.

Impius

VIII.

Impius igitur est Anabaptistarum furor, tollentium ex genere Anabaptistarum humano hanc ordinum distinctionem, & inter Christianos omnes tanquam fratres summam aequalitatem introducere volentium. Contumelia enim officit iudicium Dei, sapientissime mundum hunc per imperia legitima gubernantis.

IX.

Nec tantum apud Ethnicos aut in V. Testamento Magistratus fuit Dei minister, sed apud omnes ubique gentes ac populos, adeoque etiam inter Christianos vera est haec propositio, cum universaliter Magistratus verum sit, Deum transferre & stabilire regna. & Paulus hoc loco ubique Christianis non Ethnicis aut Iudeis scribat, quae officia debeant Dei est Magistratui: eaque exigat non tantum propter iram & metu poenae, sed etiam propter conscientiam & Dei ordinationem.

X.

Et dum 1. Tim. 2. v. 2. jubet fieri preces publicas pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, simul probat eundem ordinem, & vult Titum concionari Ecclesiae de obedientia Principibus & potestatibus debita. Tit. 3. v. 1.

XI.

Petrus quoque Apostolus omnino ignarus fuit Anabaptisticae confusionis, dum monet Christianos, ut subditi sint omni humanae creaturae propter Deum: Sive Regi, quasi praecellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis.

XII.

Christus ipse dicit, Pilato desuper traditam esse potestatem, Iohan. 19. v. 11. Et Paulus injuria ac tyrannide oppressus provocat ad iudicium supremi Magistratus, Act. 25. v. 11.

XIII.

Denique, Christus non venit in mundum, ut evertat Politias Potestas aut Imperia mundi, quia regnum illius non est de hoc mundo, sed minister ut Evangelium annunciet hominibus, eorumque aeternam salutem non everterat.

XIII.

Nec obstat huic assertioni locus Pauli, 1. Cor. 6. qui videtur iudiciorum ordinem improbare; Non enim ipsa iudicia & constitutionem divinam, sed litigandi libidinem, quae inter Christianos sese exercebat, redarguit & vicia iudiciorum reprehendit.

XV.

Discrimen Multo vero minus patrocinator Anabaptistis Christi sententia, dicentis, Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Non potestatis enim prohibet Christianos Magistratum gerere, sed discernit ministerium Ecclesiasticum à Politica potestate.

ca & politica.

XVI.

Ministerium enim Evangelij est potestas docendi verbum Dei & administrandi Sacramenta juxta institutionem Christi, & regendi Ecclesiam solo verbo sine vi corporali, nec habet auctoritatem condendi nova dogmata aut leges.

XVII.

Paparum ambitio pseudoapostolica. Ut autem quæ propria ministerij Magistratus sibi vindicare non debet: Ita nec ea, quæ hujus sunt, ministri Evangelij sibi arrogare. Quæ in re Pontificum Romanorum incredibilis fuit audacia, temeritas ac tyrannis, fingentium, omnia Regna Christiani orbis esse feuda Romane sedis, & arrogantium sibi potestatem eligendi & deijciendi Reges pro arbitrio. Hæc & similia pugnant cum dicto Christi: Vos autem non sic.

XVIII.

Dum autem Synagoga Babylonica meretricis pro stabiliendo suo axioma abulitur dicto: Non est potestas nisi à Deo: Est ergo Romani quoque Pontificis super omnes terræ Reges, & regna universa, potestas à Deo. Committit fallaciam ἀγνοίας τῆς ἐλέγχου. Non enim de qualibet potestate directe pugnantem cum verbo Dei agit, quomocumque ea sit affecta, sed de politica eaque ordinaria ac legitima.

XIX.

Latrones potestatem sibi sumunt sæviendi in viatorum corpora ac fortunas; Seditiosi rustici potestatem sibi arrogant penitus evertendi Principum ac nobilitatis ordinem ac fortunas: Talem sanè concedimus Pontificis Romani potestatem esse: sed à Deo esse negamus. Loquitur enim Paulus non de potestate per fraudem aut vim illegitime occupata, sed de ordinaria & legibus consentaneas. Atque hæc de origine Magistratus.

XX.

Officium Magistratus. Sequitur quæstio de ejus officio, de quo sic concionatur Apostolus: Principes non sunt terrori boni operis, sed mali: Dei minister est Princeps tibi in bonum: Non sine causa gladium gerit, sed Dei minister est vindex ad iram ei qui malè agit.

Breviter

XXI.

Breviter complectitur Paulus his verbis omne id, quod boni Principis proprium est, videlicet, quod sit constitutus in terrorem non boni operis, sed mali: Quod subditorum bonum quærat, quod gladium gestet, & vindex sit in iram iniqua agenti.

XXII.

Primo enim constitutus est in terrorem Magistratus, ne effrenis multorum malitia ruendo contra leges turbet & vastet hominum societatem. Ac quia duplicia sunt bona opera, Civilia & Ecclesiastica, nec non duplicia his opposita mala, de utroque operum genere hic textus est intelligendus.

XXIII.

Magistratus enim custos est primæ & secundæ tabulæ: Nec tantum qui furta aut homicidia perpetrant, male agunt, sed etiam qui hæreses serunt, ac falsa dogmata, qui schismata excitant, Sabbathum profanant, nomen Domini blasphemant, idola stabiliunt &c.

Magistratus est custos utriusque tabulæ.

XXIII.

Pontifex quidem Romanus cum satellitio suo Imperatorem, Reges, Principes & Magistratus omnes tanquam Laicos & seculares homines ab hac officij administratione plane excludit, & sibi soli & Episcopis curam istam reservatam cupit, ejusque prætextu omnibus Regibus terræ imperat: Sed vox divina perspicue docet, Magistratus politici officium esse curare, ut religio sincera doceatur & incorrupta repurgetur, ut Ecclesiæ concordia conservetur, hæretici ac schismatici puniantur.

Quæstio. utrum politico Magistrate curare debeat religionis negotia.

XXV.

Neque opus est longinquo petere hujus assertionis documenta. In promptu est authoritas divina, Deut. 17. v. 18. Rex describet sibi deuteronomium Legis hujus in volumine, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Deum & custodire ceremonias ejus. Quare non tantum iudicio Sacerdotum in Religione stare vult Regem Dominus, sed ut ipse legat, & veritatem dijudicet.

XXVI.

In eodem capite versu 9. & 10. remittuntur Israelitæ litigantes de rebus dubijs, non tantum ad summum Sacerdotem, sed etiam ad iudicem: Et utriusque sententia non hominum arbitrio, sed Legi divine astringitur. Quodcumque dixerint & docuerint te juxta legem Domini, facies.

Sacerdos & iudex pronunciant.

XXVII.

Sunt præterea in promptu exempla Regum, quorum non tantum in Religione ad placitum Pontificum propaganda, sed etiam in eadem contra Pseudosacerdotum iudicium repurganda & Ecclesia reformanda commendatur pietas & industria. David arcam Domini reducit. 2. Reg. 6. Salomon templum extructum ipse precibus & victimis dedicat, 3. Reg. 8.

XXVIII.

Reformatorum pi- enim hanc ita sibi soli vendicat Papa Romanus, ut eam omnibus orum ex- Christiani orbis Regibus adimat, eoq; non nisi à se appellatos, & empla. suo ex præscripto tanquam famulos mandata exequi velit.

XXIX.

Non sic pi quondam Reges in populo Dei factitarunt: Sed Afa 2. Par. 14. non expectato jussu Sacerdotis gubernacula regni capessens, idola 3. Reg. 15. eorumq; Altaria evertit, imò etiam matrem suam sacerdotio Miple- Zeth fungentem, amovit.

XXX.

Hujus pietatem imitatus filius Iosaphat, tertio regni anno emittit consiliarios suos ceu Visitatores generales, ut docerent populum, eisq; adjungit Levitas: Hoc verò planè foret adversum rationibus Pontificis Romani, si regum quispiam tale quid sine ipsius autoritate susciperet.

XXXI.

Iosaphati vestigia secutus est Ioas, qui etiam reprehendere nutritium suum Iojadam Sacerdotem ausus fuit, eò quòd negligentius 2. Par. 24. structuram templi permoveret: Sed hunc longè superarunt Ezechias & Iosias, quorum uterq; non à Sacerdotibus aut Levitis incitatur ad cultum divinum, sed cælesti numine afflatus ignavos & 2. Par. 29. et 30. et 34. officij sui partim ignavos Sacerdotes instigat ad restituendum cultum Domini.

XXXII.

Magistra- Quin etiam Regum autoritate distincti sunt Sacerdotes, & dis- tus est cu- tineta Leviticarum officia, ut manifestè ostendit exemplum Davidis rare reli- 1. Par. 24. & Iosaphat 2. Par. 19. v. 8. gionè, & tollere idola.

XXXIII.

Ex his piorum Regum factis Scripturae voce commendatis, immota consequentia concludimus, non postremã officij tuis & socias Christiana

Christiana partem esse, ut curam religionis suscipiat, & in ea non modo ser vili iudicio sacerdotum sequatur nutum, sed si eorum negligentia doctrinam corruptam cognoverit, eandem repurget, & lucem caelestis sapientiae populo restituat.

XXXIII.

Neq; tamen hoc sic est accipiendum, quasi Magistratus habeat potestatem ferendi novas leges de doctrina aut sacramentis: (qualem hoc tempore multi dyaastae temere sibi arrogant) Id enim quando facere praesumit, majestatem divinam, cujus id est proprium, horribiliter offendit.

XXXV.

Potest autem alias ferre leges de ceremonijs & disciplina Ecclesiastica, de ordine vocandi, dimittendi & judicandi ministros Evangelij, & similibus rebus, in quibus, quae sapientum & piorum Theologorum consilio constituta sunt, & ad aedificationem Ecclesiae & tranquillitatem faciunt, non sunt temerario ausu violanda.

XXXVI.

Altera cura Magistratus Rempub. concernit, tum universalem, tum singula ejus membra: De hac inquit Apostolus: Dei minister est tibi in bonum; Non vult ut suum querat emolumentum, cum subditorum damno, sed ut horum bonis & commodis legitime prospiciat. Est enim Magistratus Reipub. oculus, providens ne totum corpus detrimenti quippiam capiat.

XXXVII.

Vt autem Reipub. & singulorum bonum recte queri possit sine alterius injuria, necesse est legibus honestis juri divino ac naturae congruentibus Rempub. probe instructam esse: Habet itaq; Magistratus jus vniuersale in omnib. rebus potestati illius subjectis.

XXXVIII.

Tertia cura Magistratus ad executionem legis spectat, sine qua nullus est legis usus: Est igitur Magistratus gladio divina autoritate armatus, ut tam illis, qui animi quodam morbo pravis exemplis aut spe impunitatis illecti facinora enormia perpetraturi erant, sit terrori, quam in eos, qui actu deliquerunt secundum leges severe animadvertat.

XXXIX.

Huc referenda est vindicta publica, cujus administranda jus Magistratui est concessum, ut nimirum injurias illatas, tum singulis, tum publicis,

B.

lis,

lis, tum universæ Reipub. legitime ulciscatur, ac si aliter nequeat bello alijsq; cladibus cœerceat improborum contumaciam.

XL.

Virum verò in hæreticos, quatenus tales sunt, (cæteroqui ad Quæstio de omnia obsequentes & fideles) propter pravas de rebus divinis opi- hæreticis, niones, gladium stringere debeat, anceps quæstio est. & in utramq; à Magi- partem argumentis disputata.
stratu pu-
niendis.

XLI.

Ac sanè quid in V. Testamento Moses constituerit, quidve Deus in populo suo servari voluerit, non est obscurum ex cap. 13. Deut. Vbi Propheta volens seducere populum, capitis supplicio ad- judicatur. Unde Eliæ licuit Prophetas Baalis mactare, 3. Reg. 18. & Iehu Rex Israelis idem fecit, 4. Reg. 10. Nec non Iosias 4. Reg. 23.

XLII.

Lex Mosis Sed cum ea, quæ in Politia Iudaica legibus sancita fuerunt, in non loqui Reipub. Christiana proprijs legibus utente, servanda necessariò non tur pro- sint, neq; liquidò ostendi possit, legem istà ad morales pertinere, & priè de universos mortales obligare: Neq; per omnia eadè sit ratio idola- hæreticis, triæ & manifestæ apostasiæ deficientis ad deos gentilium, & hære- nec obli- seos seu pravæ opinionis de cultu veri Dei pertinaciter defensæ, gat Chri- Ideò ex istis fundamentis nulla necessitate concluditur, hæreticos stianos. gladio delendos esse. Hinc Augustinus dixit, Nulli bono unquam Excipe placuit se vire in hæreticum hominem usq; ad sanguinem.

XLIII.

Papam Romanū. Quæ verò legibus Imperatorum hac de re constituta sunt, ea suo loco relinquentes, hoc simul affirmamus, postquam Antichristi Romani obtinuit potestas, lanienas istas, quibus totæ gentes titulo Religionis repurgandæ evertuntur, pugnare cum verbo Dei, charitatis legibus, praxi Ecclesiæ veteris, ac denique bestiaæ Babylonica notam esse.

XLIV.

Quomodo hæreticus à Magi- stratu tra- standus. Hæretici hominis salus & conversio potius est quærenda, quàm opera danda, quo è medio sublatus, vitam æternam cum hac uno eodemq; momento amittat. Cœercendus igitur est, ne no- ceat, aliosve seducat, & si opus sit, ejusq; indefessum studium ex- ploratum, exilio vel carcere mistandus, & fulmine excommuni- cationis feriendus, quod in Ario, Nestorio, alijsq; primitiva ser-
vavit

vavit Ecclesia: Interim diligenter erudiendus, si quando det illi
Deus poenitentiam, ut resipiscat à laqueis Diaboli, quibus tenetur
captivus, 2. Tim. 2. XLV.

Restat membrum tertium propositi thematis de præ-
mijs: Ea distribuit Apostolus in Honorem, Tributa & Vestigalia.
Huc pertinent omnes leges de majestate & dignitate Magistratus,
quem sublimiori loco constitutum reverenter coli, & suo loco tan-
quam Vicarium Dei agnoscere Deus voluit, ut Psal. 84. ostendit. Et
Petrus non tantum humanioribus, sed etiam morosis dominis vult
obedientiam præstari. 1. Pet. 2. XLVI.

Licet quoque Magistratui exigere tributa & vestigalia, aliaque
onera Reipub. imponere, ita tamen ne immodicis exactionibus
pauperum fortuna exhauriantur. Ast dolendum est, esse quosdam
Christianos Magistratus, Turcis ac Tartaris hac in re iniquiores,
dum pecus suam non ut pastores tondent, sed planè deglubunt, &
pessimis artibus miseri populi animos ad seditiosa consilia ample-
ctenda impellunt.

DE SUBDITIS.

XLVII.

EX superioribus planum est, quid Spiritus S. de subditis eorumque
Erga Magistratum officijs constitutum reliquerit. Vocantur sub- De appel-
ditii ὑποτασσόμενοι, q: d: in ordinem redacti, sumta metaphora à latione.
militari disciplina, in qua Imperator exercitus extra ordines con-
stitutus universo corpori prospicit, cæteri suo ordine singuli locan-
tur, & stationes servant.

XLVIII.

Porrò quinam homines subditi Magistratui esse debeant, per-
spicue ostendit Apostolus dicens: Omnis anima potestati eminenti
subdita sit. Nemo igitur ab obedientia lege est solutus, ac ne illa
quidem personæ, quæ divino cultui ac ministerio peculiariter sunt
deputata, ut Chrysostomus rectè inquit: Omnis anima subdita sit
sive sit Monachus, sive Episcopus, sive Apostolus, sive Evangelista.
Quæ per-
sonæ Ma-
gistratui
sunt subje-
ctæ.

XLIX.

In Veteri quoque Testamento Summi Sacerdotes Regum potestati
subjecti fuerunt, quod ostendit Salomonis factum, seditiosum Pon-
tificem Abiatharum Sacerdotio exuentis, eiq: Sadocum substituen-
tis: Et Christus testatur, Pilato potestatem super se traditam cælius.
3. Reg. 2.
v. 26. &
36.

B 2

Id ipsam

L.

Id ipsum in primitiva Ecclesia N. T. usu fuisse receptum, testantur historie. Paulus enim ad tribunal Cesaris provocat. Actor. 26. Et Episcopi controversias suas ad Constantinum Magnum in Synodo Nicena deferentes, judicem eum agnoverunt. Quare

Quod Da-
niel & A-
pocalypsis
predixe-
runt.

Pontificis Romani & universa caterve Antichristi impudentia inexcusabilis est, qua se ab obedientia Magistratus politici subtrahere, & proprium imperium politico superius constituere ausi sunt.

LI.

Abusus
hujus do-
ctrinae ex
inscitia &
petulantia
ortus.

Hanc explicationem loci Paulini quando legunt tribuni & Consules oppidorum quorundam nec non nobiles aliq, qui aliquam particulam politicae potestatis ex concessione superiorum consecuti sunt, pueriliter exultant, sibiq, de imperio in ministros Evangelij stulte gratulantur, nonnunquam etiam a rabulis persuasi, magnas turbas cient, si ministri Evangelij ad omnia ipsis dicto audientes esse nolint. Horum audaciae opponenda est haec immota sententia: Ministros Evangelij quidem sub Magistratu esse politico, Ministerium verò verbi Dei nequaquam. Hoc enim à Deo ipso institutum, omnes homines adeoq, ipsum etiam Imperatorem redigit in ordinem Psal. 2.

LII.

Jurisli-
ctio à Ma-
gistratu
superiore
ortum
trahit.

Deinde subiecti quidem sunt ministri verbi Magistratui, sed inde perperà concluditur: Ergò omni alijs personis nobiles, literatis, vel quovis alio modo in eminentia constitutis, non valet, ita neq, in ministro Evangelij, quem non à quovis rusticorum praefecto, civi aut nobile pro arbitrio judicari voluit summus Magistratus, sed certo ordine atq, lege, quam ex scholis Iureconsultorum petant, qui volent.

LIII.

Quare qui demonstrare nequeunt, ab Imperatore tanquam capite Jurisdictionis omnis, & à legibus, dominatum in personas Ecclesiasticas sibi concessum esse, hi seditiosè & contra conscientiam agunt, dum praetextu juris divini sibi imperium in Clerum deberi autumant.

LIIII.

Evangelium enim non abolet politicas constitutiones aut privilegia personis nobiles Ecclesiasticis & Scholasticis à Magistratu supremo gravi consilio attributa. Et petulans *μεροκαρία* est

NB. velle ex sacris literis desinire, quam latè cujusq, Magistratus potestas,



nas, & jurisdictio se extendat, quod olim seditiosos rusticos tenuisse autor est Sleidanus.

L V.

Officia subditorum erga Magistratum sunt, ut honestè ac reverenter de ipso tanquam Dei ministro sentiant ac loquantur, ut in omnibus rebus congruentibus cum cujusq; Reipublicæ legibus morem illi gerant, tributa & vectigalia solvant, & honorem ei debitum exhibeant, & hæc omnia præstent, non tantum propter iram, seu metu pœnæ, sed etiam propter conscientiam, memores, hanc Dei esse voluntatem & ordinationem, cui resistere non licet.

L V I.

Porrò quæ sint metæ obedientiæ Magistratui debite, ostendunt Apostoli Act. 4. v. 20. & 5. v. 29. Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Si itaq; Magistratus aliquid præcipiat, pugnans se extēdat cum verbo Deo, evertens libertatem Christianam & conscientias hominum gravans, non est illi obtemperandum. Tum enim non fungitur officio Magistratus, sed tyranni insano impetu Deum & se supra Deum & hominum conscientias protervè elevantis.

L V I I.

Qua ratione autem subditi declinare impia Magistratus decreta debeant etiam atq; etiam videndum est. Multi enim prætexunt verbum Dei suis cupiditatibus, & excutiunt Magistratus jugum absq; justa causa. Alij vi manifesta se opponunt potestati superiori, & movent seditiosa bella.

L V I I I.

In his casibus determinandis ex Theologica disciplina genus tantummodò peti potest, nimirum ne quid à subditis fiat contra leges honestas, in quavis Repub. receptas & autoritate publica confirmatas.

L I X.

Sunt enim quidam casus, ubi legibus concessa est defensio subditis adversus injustam tyrannidē imperantium, præsertim si non sint merè subditi, sed ipsi quoq; Magistratus politici munia non potestrema sustineant. Sic Maccabæi opposuerunt se Antiochi furorib; libertatem populi sui felici successu asseruerunt. Sed hæc exempla non sunt temerè imitanda.

L X.

Privati verò læsi à Magistratu, si legibus restitutionē impetrate nequeant, persecutionē potius pati debent, quam arrepto gladio manifesta vi se tueri. Qui enim gladium acceperit, gladio peribit.

SECUNDA PARS CAPITIS.

Redit Apostolus noster ad tractationem generalem de dilectione proximi: Interim enim dum omnia debita fideliter solvi vult, unum tamen perpetuum superesse ostendit, quod nunquam plene dissolvi potest, nimirum debitum charitatis mutuae, quam ab omnibus hominibus omni tempore lex divina exigit. Qui enim diligit proximum, quemadmodum videlicet Lex præcipit, is Legem Dei implevit. Thesin hanc inductione præceptorum Decalogi ad secundam tabulam pertinentium confirmat, quorum omnium summam contineri dicit hisce verbis: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Idem Christus Matth. 22. v. 39. asserit. Quia igitur dilectio proximo non operatur malum, consequitur, dilectione proximi legem impleri. Notandum est, Apostolum de dilectione loqui in se considerata, non quatenus à hominibus præstatur, quam imperfectam esse, & ad legis conformitatem nunquam accedere, supra cap. 7. & 8. luculenter probatum dedit.

Dilectio legem implet.
Hac occasione transit ad $\pi\alpha\rho\sigma\alpha\nu\epsilon\sigma\iota\pi$ qua omnes homines in genere à proposito peccandi & in enormibus sceleribus perseverandi deterret, & ut pœnitentia acta, vitam emendent: Vel si jam ad sanio rem mentem redierunt, ut in curriculo pietatis alacriter pergant, hortatur, idq; Metaphorico sermonis & argumentorum genere usus. Confert enim præsentem Ecclesie in Novo Testamento renatorum conditionem luci seu diei, eamq; opponit tenebris nocturnis, quibus impiorum vi vendi rationem similem esse affirmat. Excitari à somno, est securitate abjecta, agnoscere tempus visuatonis, & fulgorem splendentis Evangelicæ lucis, & opera tenebrarum

Lux N.T.
Phrasium explicatio. omnisq; generis scelera abijcere: Arma lucis induere, est fide Christum agnoscere, & totius vite obedientiam gratitudinem nostram erga Deum testari: Christum induere, est per fidem illius obedientiam & satisfactionem amplecti, sibiq; applicare, & in ea innocentia veste in conspectum Dei venire, & ad Christi exemplum pie, sancte & inculpate vitam instituere. Sunt igitur argumenta in textu, thesin hanc, quod enormia scandala fugienda, & pœnitentia pia corrigenda sint, confirmantia: Primò. Quia Christiani sciunt, & ex verbo Dei didicerunt, Deum serio irasci violentibus disciplinam externam. Secundò. Quia tempus est gratiæ, quod Deus indulget peccatoribus, ut pœnitentiã agant, 2. Pet. 3. Rom. 2. Tertiò. Quia dies

dies clara Evangelij splendens requirit vitam luci caelesti congruentem: Ista verò scelera, Ebrietates, commestationes, lascivia, libidines, iræ, contentiones, non sunt arma lucis, sed tenebrarum: Abijcienda igitur. Et sicut, qui manè è lecto surgunt, sese ornant vestimentis, ordinem suum decentibus: Ita in hac Evangelij luce compositè tanquam in die ambulandum, hoc est, Christiana pietati sobrietati, castitati, mansuetudini, dilectioni & patientiæ studendū. In fine addit εὐσχηµὸς δὲ οὐτὶς hujus dicti, ne quis id eò interpretetur quasi monasticam vivendi rationem & proprii corporis macerationem intempestivam Apostolus à Christianis requirat: Carnis, inquit, curam agite, nimirum quæ corpori nutriendo, vestiendo, sanando & conservando utilia & necessaria sunt, ea moderata sollicitudine curate, sed ita, ne caro delitijs inflata, lascivire incipiens, pietatis vestræ curriculum, preces, ac reliquos cultus Dei impediatur.

Monachatus damnatur.

Themata.

I.

Charitas est debitum, quo proximo tenemur obstricti, teste Apostolo: Non igitur in renatorum voluntate & dispositione est relictum, diligere proximum aut odisse, sed vigore debiti ad charitatis officia præstanda, omnes sancti obligati sunt.

II.

Multas inutiles contentiones peperit in Ecclesia vox necessitatis, utrum videlicet de renatis sit dicendum, quòd necessariò teneantur præstare novam obedientiam.

Charitas est necessaria per debita.

III.

Sed in hoc capite duo sunt exempla evidentissima, litem istam grammaticam dirimentia: Necesse est obedire Magistratui, inquit Apostolus: Idq̄ non tantum impijs, sed etiam renatis facere est necesse: De renatorum itaq̄ obedientia necessitatis vox jure potest usurpari.

III.

Adhuc, si charitas est debitum: Omne autem debitum necessariò ad solutionem obligatur, consecutarium est, charitatis officia necessitate mandati & debiti ab omnibus hominibus esse præstanda.

Præterea

V.

Præterea si debita est charitas, Ergò ex se meritoria non est. Pecunia enim qua res alienum dissolvitur, nihil emitur aut novi acquiritur. Hinc Christus Luc. 17. Cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus, quia fecimus quod facere debuimus.

VI.

Contentio de tertio usu Legis, vid. form. Conco. Illam quoque petulantem Antinomorum contentionem, utrum Lex in Ecclesia Christianorum docenda sit, textus hic determinat, inculcans renatis præcepta Legis Moralis, ut intelligant, hæc opera placere Deo, & ad normam divinæ vocis sibi vivendum esse, & multiplices suas imbecillitates in natura corrupta residuas agnoscant, ac fiduciam propriæ sanctitatis & meritorum omnino abiciant.

Corollaria.

I.

Vetus Testamentum fundamentum est Novi: Novum verò lux est veteris.

II.

Coloss. 2. 7, 23. Monachorum superstitio, versata in *Ἐξελοθρησκείας*, non parentibus corpori, & non in honore aliquo adfaturitatem carnis à Spiritu Sancto moderatam, curam corporis exigente, damnatur.

Deo gloria.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793




Sb.

W19

Hilf.







17, 15 13

DISPUTATIO DECIMA QUINTA
EX EPISTOLA
PAULI AD ROMANOS,
proponens ἀνάλυσιν capituli de-
cimi tertij.

*Ad cujus positiones, divina fa-
vente gratia*

PRÆSIDE DAVIDE
RVNGIO SACRÆ THEO-
logia Doctore & Professore in Aca-
demia VVitebergensi responde-
bit 28. Maij, loco
consueto

M. CASPARVS PAMLERVS
Reichenbacensis,



VVITEBERGAE,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.

